

Bibliothèque numérique

medic@

**Maygrier, Petro-Jacobo. - De
paragomphosi seu de compressione
vel de inclusione capitis in pelvi, partu
efficiente**

1811.

Paris : Ex typographiâ Ballard
Cote : 90974

CONCURSUS
PRO ARTIS OBSTETRICÆ CATHEDRA.

DE PARAGOMPHOSI

SEU

DE COMPRESSIONE VEL DE INCLUSIONE CAPITIS
IN PELVI, PARTU EFFICIENTE.

Thesis sustenta ac publicè defensa in Amphitheatro
Facultatis Medicæ Parisiensis,

ANTE JUDICES CONCURSUS PRÆSENTES


Die 6^a juillet 1811.

MAYGRIER, Petro-Jacobo (d'Angoulême , département de la Charente) Facultatis Parisiensis Doctore-Medico , Anatomiae, Phisiologicæ, nec non artis obstetricæ professore, beneficentiæ et dispensarii medico, societatis Medicæ Parisiensis æmulationis nec non plurium Societatum Medicæ sodali.



PARISIIS,

Ex typographiâ BALLARD, viâ J.-J. Rousseau, n°. 8.



COVOCATIO
AD CONVENTUM
DE PARAGOMPHOSI

in quo de paragomphosis et de compressione vel de inclusione capitis in pelvi, partu ...
et de coagulatione sanguinis in utero et post partum, et de
paralysia et alijs malis, quae ex paragomphosis et compressione vel inclusione capitis in pelvi
partu ... et de coagulatione sanguinis in utero et post partum, et de

MAYORIS, et alio loco (huiusmodi, deosculante
de Cypriano) fons est. Et si quis de his
autem rationibus, quae in paragomphosis et compressione vel
inclusione capitis in pelvi, partu ... et de coagulatione sanguinis in utero et post partum,
poterit perducere, quod non possit esse
de paragomphosis et compressione vel de inclusione capitis in pelvi, partu ... et de coagulatione sanguinis in utero et post partum,


PARTE

Ex Librariae BIBLIOTHECAE, 17.1.1. Tercie, n. 8.

Praeses, D. DE JUSSIEU.

Judices, DD. { LEROUX.
A. LEROY.
CHAUSSIER.
A. DUBOIS.
EVRAT.
BOURDOIS DE LA MOTTE.

Vices gerentes, DD. { LALLEMENT.
RICHERAND,
AUVITY.



DE PARAGOMPHOSI

SEU

DE COMPRESSIONE VEL INCLUSIONE CAPITIS IN PELVI, PARTU EFFICIENTE.



CONSIDERATIONES GENERALES.

Per compressionem capitum (enclavement) plerumque intellegitur illa positio, in qua stabili firmaque ratione ad superiorem aperturam aut abdominalem constrictum ac compressum caput, nec in excavatione abstrahi, nec supra angustias rursus flui potest. Quae quidem definitio ab autoribus adhibita tamen nequit convenire omnibus speciebus quas admittunt, ut infra videbitur.

Aliunde jam non inter eos constat de diversis modis quibus ad superiorem aperturam caput solum comprimi, nec de rationum natura quae eò sunt adhibendae ut occurrant utriusque eventui.

Nomen compressio (enclavement), mea quidem sententia non satis recte adumbrat capitum situm, illiusque relationes cum diversis pelvis partibus. Talis enim est haec hypothesis, nimi-

rum ex diametro oppositis circuitui duobus punctis caput detentum, intra fauces superiores cunei instar, seu lapidis quem vocamus elavem cameræ, esse implicitum; quod vero et principio et demonstratione falsum est, quoniam caput superiores angustias transcendens, de loco constricto in altero ampliore transeat, sive in excavatione extrahatur, sive supra repellatur.

Vocem paragomphosim mallem, quam adhibet Rœderer; illa quidem voce rectius exprimitur quo in situ, quibuslibet in casibus adsit, caput reperiatur. Hæc sunt verba Rœderer: « Dolorum vis, quæ in partu facili capiti in vaginam deprimente sufficit, hic nihil valet, siquidem, vehementissimi licet atque frequentissimi dolores accedunt, nihil partus promovetur, sed caput subsistit, intra pelvis ossa firmissime defigitur, veramque paragomphosim sistit, pelvis universum marginem contendit, cum eodem perpetuum appareat corpus. »

Ex his dictis apparet ne vel minimum esse dubium de modo quo inclusionem concipit Rœderer. Sic enim opinatur: non capite compresso, ait, efformatur inclusio, sive in sensu, sive in alio, ex duobus diametro oppositis, sed illud accidit quotiescumque caput detentum et compressum stabili firmaque ratione per superiores angustias hæret, nec potest procedere, nec retroire, sicut dens inclusa in receptaculo, undique arctius tenetur.

Si partim assumo opinionem Rœderer de inclusione, non idem cum eo sentio, cum contendit in hac compressione capitum nullam spem habere caput inter et pelvem inserere brachia forcipis

et tum superesse solam miserandam optionem, vel puerum uncis reserare, vel matris mortem ipsius pueri morte afferre. Ego contra contendo in omnibus circumstantiis posse forcipem adhiberi et cum instrumento hoc, ut inferius exponam, partum, conficere.

Juxta Levret, ut absolute caput includatur, necesse est, ait, ut vel plus vel minus hæreat, nec solis viribus naturæ procedere queat, nec etiam repulsum retroire. Hæc est opinio Deventer, Deleurye, de Lamotte. Juxta hanc sententiam quis non miratur videre, cum legitur quod plerique illorum autorum dicunt, ipsos esse in discrepantia; nam fere semper de circumstantiis errant in quibus non solum hæret caput, seu in angustiis, seu in excavatione, et vera inclusione. Non est supervacuum stricte statuere quid per vocem inclusionem(enclavement) sit intelligendum, ne illum remaneat dubium de illius vera nota et de rationibus quæ sunt adhibendæ presertim ut finis illi imponatur et ut propugnentur series heu nimium funestæ.

De natura inclusionis.

Minime admittenda est inclusionis opinio, cum sit mobile caput supra angustias superiores et eo ipso inquire possunt pedes, quod solum fieri debet cum nulla spes superest naturam ex se ipsa posse liberari; vel cum non convenit committere hanc curam naturæ, propter summam matris debilitatem, propter sanguinis profluvium etc.

Nec existit inclusio, cum caput demissum in excavatione, non

tamen angustias inferiores exsuperare potest, sive ob angustias nimis strictas, sive ob resistantiam insuperabilem externarum partium genitalium.

Non existere potest inclusio, mea sententia, nisi per angustias superiores inductum caput expresse hæreat, nec solis uteri contractionibus procedat, nec vi obstetricis retroeat. Verum hac admissa propositione adhuc perpendendum est an sit possibile caput ita locari et hærere in quodam circulo superioribus pelvis faucibus. Quod quidem ægre ac difficilime semper intellexi.

Reipsa cuilibet graviter ponderanti ideas quas sibi finxerunt autores de inclusione et præsertim apprime intelligenti conformatiōnē relationesque quas inter se habent infantis caput et matris partes quas traducere debet ipsum caput, brevi erit perspicuum veram inclusionem esse rarissimam; in ipsamet hypothesi talem existere posse qualem in animo habuerunt autores, nunquam talis eventus artis rationes exsuperat, nedum inde oriantur funesti effectus quos excogitatione amplificare delectaverunt illimet ipsi autores. Cum enim illi eventus eò usque deveniunt ut et pueri et matris vita in periculum veniat, sæpissime culpanda est vel ignorantia artis hominis, vel noxia timiditas.

Inclusionis causae.

Ex tribus circumstantiis oriri potest inclusio: 1^o. ex capitis mole, quod pelvim aliunde recte conformatam traducere non potest; 2^o. ex pelvi non bene conformata pro mole capitis solitâ; 3^o. ex capitis solita mole, malo situ, in pelvi recte conformata.

In primo casu , caput crassius , quam ut libere per pelvim , aliunde bene conformatam , traduci queat , potest tamen vel plus , vel minus in ea implicari pro vi et uteri contractionum continuitate ; sed quodam loco deductum , jam non potest procedere , hæret et tunc ut inclusum considerari potest , si præbet eamdem difficultatem ut procedat et retroeat .

Compressum sit caput ex utraque eminentia parietis , vel obliquo modo , vel secundum longitudinem , iidem semper sunt effectus , eadem indicia , reipsa in hoc casu capitinis pars quæ jam antecessit tumefacta et inflata , sua vice fit invictum impedimentum quin caput ad partes superiores rursus flui valeat ; si conferas quod tunc agitur in caput pueri cum eis quæ fascia arctissime stricta in extremo uno digitorum efficiuntur .

Quomodo vero intelligi potest viribus uterinis quibus ita caput inducitur ut includatur , sicut modo exposui , angustias non posse superari et in excavatione portas illum mittere ?

Includi potest pariter caput , aiunt , quando in angustiis superioribus , juxta suam longitudinem ita offertur ut ex una parte respondeat caput simphysi pelvis et altera eminentiæ sacræ .

Quo quidem modo in hoc casu comprehendendi potest inclusio : occiput , in quod diriguntur vires uteri , in excavatione induci fertur , se directe constituendo post pubis simphysim , dum facies in sacro vertebrali , projectura nixa , sua vice ut in excavatione descendat , separat , pro communicata occipiti impulsione .

Ut vero suum magnum diametrum in minimo superiorum angustiarum caput tunc offert, necessariò ipsi adsunt impedimenta vel plus, vel minus gravia, quominus certo modo superiores angustias traducat, quo contingit inclusio in eo sensu, præsertim si virium uteri directio, paululum retrocedens, magis in faciem quam in occiput producat et ita capiti præheat quasi quinque unciis diametrum ut diametrum pelvis percurrat, cui tantum quatuor sunt unciæ in pelvibus optimè conformatis. At vero præter quam hoc rarius advenit, in illo casu maximè idoneas rationes ars præbet, si quidem pariter adhiberi possunt et forceps et vectis ad partum perficiendum.

Inclusionis eventus et pericula.

Ab autoribus singulari modo fuit aucta casuum series quos inclusionem producere contendebant, cum opiniones eorum essent vel falsæ vel amplificatœ de capitis situ in variis circumstantiis in quibus illud includi supponebant, tum horrendam imaginem adumbrabant effectuum, qui oriri poterant e capitibus situ, ob quem juxta ipsos, sola adhibenda ratio esset ut liberetur mater, nimirum mutilare partum. Non sinequodam horrore affertur partus observatio, adquem efficiendum, causa falso habitiæ capitibus inclusionis, cœsaream incisionem non dubitavit adhibere obstetrix. Quæquidem operatio tam noxiè suscepta, quam in suis effectibus funesta si quidem dubium sit an magis culpanda sit ipsamet operatio, an culpandus portentosus actusquo puer fuit extractus.

Cæterum non est necessarium præcise inclusum esse caput,

ut indè sequantur exitus periculosisimi; sufficit tantum caput in angustiis superioribus aut in excavatione esse retentum et duobus, tribus quatuorve diebus in eis morari, ut, quos efficit plerumque inclusio, indè eveniant casus funesti. Qui tamen eventus sunt indicandi, quo facilius omnis eorum gravitas cognosci queat, ut juvenes nostram artem exercentes a prime sciunt quanti referat non expectare donec ad summum intensitatis pervenerint illi eventus, ut adhibeantur rationes aptiores quibus illi propellantur, vel finis illis imponatur.

Capitis nimis diurna mansio sive per fauces superiores, sive in excavatione deducti capiti, varios, pro matre proque puerō parit effectus. Quoad puerum: duris et obstantibus pelvis partibus acriter pressum caput, tumefit, intumescit denique distenditur monstruose quidem... tum pars capitinis infra superiores angustias positi hæc varia præbet prodigia in maxima intensitatis specie. Cum in excavatione producitur, afficitur errore obstetrix, siquidem arbitratur totum caput angustias superiores exsuperare, modo partum esse perficiendum. Proh! vanam spem! tumefactio in summo gradu excitata, hujus partis protensæ capitinis perturbationem affert. Pustulæ se se monstrant, pueri cutis capillata pluribus in locis fnditur et exinde effluit quoddam pus sanguinolentum, subnigrum, putridum quodque ad gangrenæ naturam accidit; tumque mors illius est certissima, si jam non advenit. Pariter animadvertisit calvæ foetus ossa mollia quidem, flexilia quasi alia aliis insidentia, plus minusve depressa vel fracta fuisse, quamvis ille casus sit sæpius effectus capitinis difficilis, constrictiorisque progressio- nis per pelvim paululum in suis dimensionibus compressam.

Ex inclusione vel etiam ex simplici capitum compressione interna perversio, denique mors ipsa pueri, cui occurendum est, si citius maximè idoneæ ad morti obstandum, afferantur rationes.

Verum quoad matrem, compressionis effectus, etsi non sint tam funesti, tamen sunt magis varii aptioresque ad maiorem partium numerum commovendum. Ita mollium partium circa pelvem adjacentium contusio, neconon vesicæ intestini que recti, prioris laniatio, illius inflammatio tabidaque suppuratio; tumefactio, tensio, inflammatioque imæ partis uteri; æstus, urinæ incontinentia, plerumque sunt effectus capitum inclusionis, vel ipsius in pelvis interiori longioris commorationis. Ad hanc longam symptomatum et casuum seriem, addendi sunt effectus generales et non minus perniciosi quos in omni apta constitutione experimur, videlicet febres, convulsiones, ventris inflammations, acerbi capitum dolores; insuper timor, clamores, desperatio, denique quidquid præbet horrendum talis status, quisque facile intelliget, quam sit necessarium non ignorare quid de rationibus adhibendis sit agendum.

Verum enim verò non solum eventus qui offeruntur momento quo per pelvem caput vel includitur vel comprimitur, propugnandi sunt, timendum est adhuc ne post partum protrahantur et supersint vestigia quæ sæpissime ars ipsa minimè validis rationibus etiam inutilibus potest obviare.

Si juxta sententiam autorum esse æque facillimum præstatuere quibus signis possit perspici futuram esse inclusionem; certe quidem ea signa a me indicata cum anxia religione exposuisse, verum ut hæc plerumque sunt minime certa ir-

ritaque; et penitus accipiuntur pro signis quibus solummodo pronuntiatur in superioribus angustiis caput fore detentum, ea silere existimavi; itaque sine intermissione venio ad expositionem abhibendarum rationum ut recedant impedimenta quibus capitis progressio moratur, partusque perfectio.

*De signis quae per pelvem inclusum aut detentum
caput praebet.*

Si quidem, mea sententia, leve vel nullum sit discriminem inter caput inclusum et tantum detentum, sive in angustiis superioribus, sive in excavatione, haud mihi erit difficile quænam sint adhibendæ rationes quibus talis casus propugnatur, indicare. Quædam etiam inde eveniet maxime notanda simplicitas: in illarum rationum usu forcipem perpendendo quasi ut solum instrumentum quod adhiberi valeat, ut in pari casu partus perficiatur.

Nam ex duabus sequentibus propositionibus una vel altera admittenda est: aut pelvis est adeo magna, licet in eo quædam sint vitia, ut caput erumpere possit, aut nimia contractio illud vetat; et quod idem est, vel caput majus ac esse solet, tamen e pelvi cuius naturales sunt dimensiones, potest erumpere, vel non ob ipsius molem insolitam. In primo casu, contendo forcipe, modo sit recte admotus et manu perita directus, semper partum esse perficiendum; in altero casu, caput nequit nec includi, nec satis inter superiores angustias induci, ut in eis hæreat, et in illis circumstantiis nec forceps nec aliae ab autoribus propositæ rationes adhibendæ sunt, exempli causa uncinus, per-

foratorium, modo sit vivus puer. Ars alias vias præbet nec eadem jam sunt indicia.

Quoddam tamen incommodum adjunctum occurri potest nimirum scire an mortuus an vivus sit puer. Ut vero signa quibus contendunt se posse certos fieri de vita pueri vel morte, minime sunt certa, existimo nunquam debere obstetricem (in illo casu) rationes adhibere lethales, cum eas supponit lethiferas, sint in exemplum uncinus, etc. eò quod sibi esset dolendum quandoque puerum adducere vivum quem mortuum existimavisset, ut accidit Mauriceau et Dionis in pari circumstantia. Admittamus etiam cerfissimam esse pueri mortem, evidentibus putriditatis, gangrenæ signis, mallem, in illo casu forcipem, si quidem non tam horrenda strages ex eo oritur quam ex uncini vel perforatorii usu, ne dicam periculum quod matri eorum admotione potest imminere.

Ex his considerationibus, propositiones seu sequentia corollaria deducuntur.

1º. Per vocem inclusionem non apprime intelligitur capitis situs per diversas pelvis partes, in variis circumstantiis quibus caput supponitur includi.

2º. Non adeo notandum est discrimen inter inclusum caput et solum detentum caput, ut intersit differentia utriusque status.

3º. Experientiae defectus vel tarditas qua cum agit obstetrix, eae sunt solæ causæ casuum qui in inclusione interveniunt, et periculorum quæ subeunt et mater et puer.

(11)

4º. Solus adhibendus est forceps in his circumstantiis , cuius justa directione et admotione perficitur partus.

5º. Quando capitinis moles major est , vel pelvis non gaudet tribus unciis , caput non potest includi. Diversae sunt indica- tiones , et ars ipsa alias vias indicat , cum puer est vivus.

FINIS.